Codice scheda: ASC F5080210 (Microscheda: 3322C4/5)
Luogo e data: TORINO - 01/10/1899
Autore: RUA MICHELE
Destinatario: KNYCZ ANDRZEJ
Classificazione: CASE SALESIANE
Tipo documento e supporto: Corrispondenza in genere - Manoscritto
Autenticità: Interamente autografo

Contenuto: Lettera del Rettor Maggiore [al presunto parroco di Oswiecim] circa il lavoro e la lotteria iniziata da D. Trawinski Francesco.

D. - Oswiecim 1 ott. 1899 Trawinski D. Fran. Rua D. Michele

9

Rev.me Domine

Maximas tibi ago gratias pro litteris, charitatis plenis, quas mihi die 25 Septembris elapsi, scribere dignatus es. Me excusatum habe si pridie quam eas acceperim, aliam gallico idiomate exaratam miseram, timens ne mea anterior epistola ad te pervenerit. Facile concipis, Rev.me Domine, quanta trepidatione agitaretur cor meum ingrediendum certo scire quaenam esset filiorum meorum Oswiecim commorantium agendi ratio.

Quae de Fran. Trawinski zelo mihi scripsisti, aliquo gaudio me affecerunt, sed si te consuluissem antequam ille Lotteriae manum imponeret, certe omni qua polleo auctoritate conatus fuissem ut ejus juvenescentem ardorem intra prudentiae fines compescerem. Procul dubio aegre patior hunc sacerdotem salesianum perpetuis itineribus esse intentum nec non ejus socios continuis scriptationibus theologicis studiis posthabitis tempus terere. Juxta sapiens tuum consilium, opportuna eidem dabo monita, dummodo non sero medicina paretur.

Charitati tuae debitor sum si ad meam usque notitiam pervenit controversia, quam alioqui forsitan ignorassem, inter R. Crac. Episcopum et meum Delegatum.

Dolendum sane tantae Antistitis in

F5080210 ARCHIVIO SALESIANO

3322C4

Salesianos benevolentiae tam indigne eos respondisse. Magno item affectus sum maerore cum legi Fran. Trasinski atque superiorum licentia sacerdotem Wrobleski ad unionem missarum propagandam misisse et lotteriam instituisse. Joannis Bosco vestigia secutus, Antistitis monita audire humiliter et fideliter exequi debuisset.

Quae cum ita sint perspicuum est quam opportunum sit tuum consilium mittendi Oswiecim seniorem aliquem sacerdotem qui prudenter novam familiam dirigere valeat. Sed nulli adhuc inveniuntur in Salesianorum Societate Poloni sacerdotes, qui aetate, virtute ac scientia praestent. Quapropter tibi, qui bene omnia quae ad Salesianos Oswiecim pertinent bene nosti, et tanta prudentia ac benevolentia mihi respondisti, mentem meam aperire audeo. In promptu est Salesianus Sacerdos, philosophiae et Theol. laurea exornatus, pietate, prudentia ac comitate excellens. Jam germanicam linguam callet, polonam sufficienter facile discet. Mihi dicere velis, quaeso, an illum pro tempore Oswiecim mittere possem. Saltem illa salesianam communitatem regeret.

A te consilium expectabo.

Interim tibi gratias ago et a S. Maria Aux. Ch. Omnia fausta precor.

Vale in Domino

Humil. ad addict.

Michaël Ru[illegible]

(Indirizzo a Torino)

3322C5

Archivio Salesiano Centrale - F5080210 - 2